



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

liii [i.e. ix]. Ut voluntas simpliciter dicatur libera, non sufficit libertas
spontaneitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

VIII. Non influit cognitio in volitionem, sed habet se per modum meræ conditionis, & sicut in physicis se habet approximatio, approximans objectum voluntati; quamvis in eo ab approximatione physica differat, quòd ea suppleri possit à Deo, causaquè agere in distans. Proposito enim per cognitionem objecto, & præeunte hoc lumine, voluntas habet sufficientem vim, ut absq; physica coëfficientia cognitionis eliciat volitionem, qualè vim intellectus nō habet, ut posito phantasmate, absquè specie impressa ponat intellectionem, vel etiam, ut absq; ejusdem phantasmatismis coëfficientia ponat hanc speciem impressam.

IX. Ad denominandam voluntatem simpliciter liberam, seu ad rationem liberi arbitrii sufficit, eam esse liberam libertate contradictionis (etsi de facto in nobis quoq; libera sit libertate contrarietatis) non tamen sufficit, esse liberam libertate spontaneitatis, seu liberam libertate à coactione; foret enim aliàs omnis volitio libera eo ipso, quòd esset volitio, cùm omnis volitio sit ipsa actualis inclinatio seu appetitus elicitus, adeoq; nō contra appetitum elicitum renitētem, adeoq; libera à necessitate coactionis. Quinimò, si nomine
liberū

liberi arbitrii nihil intelligatur aliud, quam potentia volendi sine coactione, nullus hæreticus detrectabit admittere, esse in homine liberum arbitrium, & consequenter malè damnantur ab Ecclesia, quia jam nō negant liberū arbitriū. Præterea jam Beati liberè amabunt Deum: Pater & Filius Spiritum S. (qui volendo procedit) spirabunt liberè. Est autem liberum arbitriū seu libertas in actu primo *potentia vitalis* (quam rationē potentia nō habent habitus, etsi ad agendum & non agendum sint in differentes) *quæ positis* (& manentibus omnibus, de quo, alibi) *omnibus requisitis ad agendum* (subintellige: & *ad non agendum*; eadem enim, quæ ad agendum liberè requiruntur, requiruntur quoq; ad non agendum liberè) *potest agere & non agere*: simultate nimirum potentia, nō actus; actus enim & ejus negatio pro nullo instante componi possunt. Unde patet, liberū arbitriū in actu primo proximo, nihil esse aliud, quam ipsam voluntatem, cui utiq; adæquatè est intrinsecum, posse agere & non agere habitis omnibus prærequisitis: Libertatè verò in actu primo proximo esse voluntati inadæquatè extrinsecam, quia præter entitatem voluntatis dicitur iudicium indifferens, cōcursum Dei indifferenter &c. X.